479.6 1911.
5

בנ״ו:
DISSERTATIO CHRONOLOGICA
סוד העבור:
De
Computo Thalmudico-Rabbinico,

Quam
Sub Præsidio
ÆGIDII STRAUCHII, S.S.
Theol. Licent. Mathem. Infer. Prof. Publ.
nec non Hiſtoriar. Subſtituti,
PLACIDÆ Συμφιλολογούντων COLLATIONI
EXHIBET
M. BALTASAR-JOHANNES PICHTL,
Oldenburgicus,
Ad d. XVII. Octobr. Anno M DC LV.
EDITIO SECUNDA.

WITTEBERGÆ,
Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt,
Anno M DC LXI.

80

Q. D. B. V.

§. 1.

DIverſa diverſis populis jam inde ab origine mundi fuiſſe Calendaria, nemo eſt, qui dubitare facile poteſt. Antiquiſſimum procul dubio fuit *Patriarcharum* illud, quo tempore diluvii, & poſt illud, uſi perhibentur, quod Ægyptiacum, ſeu Solare fuiſſe putamus. Huic poſt Exodum ex Ægypto & novi tam reſtaurationem, quam inſtitutionem Reipublicæ Judaicæ, ſucceſſit *Moſaicum*, ſeu illud, quod Moſes, juſſu Dei, introduxit, & Judæos docuit; quod ut Deum Auctorem agnovit, ita etiam accuratiſſimum meritò cenſetur, & dolendum eſt, quod hodierno die nobis tam beatis eſſe non liceat, ut ejus accuratam notitiam, quoad momenta ſingula, habere queamus. Succeſſit demum poſt multa ſecula, *Rabbinico-Thalmudicum*, quod vocamus, Calendarium; atque hoc multa quidem cum priori, è quo deſumptum eſt, communia habet, & ejusdem exprimit rudera, plurimas tamen ſuperſtitioſas novitates quoque continet, quas deinceps videbimus.

§. 2. De hoc Calendario primum quod quæritur, ejusdem antiquitatem concernit, nequaquam enim hîc inter ſe Chronologi conveniunt: *Dionyſius Petavius* L. VII. de Doctrinâ Tempor. cap. XVII. rectè attamen illud facit, quando ait: *Judaicorum annorum computum ac methodum pollicemur; non veterem & cujusmodi ante Chriſtum & Chriſti ſeculo apud illos obſervati ſunt, ſed hodierni ac recentioris inſtituti; quod non adeò eſt antiquum; ſed paucis abhinc ſeculis, ut quidam arbitrantur; ut autem Judæi ipſi dictitant, ante mille circiter, eoq; amplius centum annos extitit.* Hæc quidem Petavii de hoc Calendario ſententia eſt, quæ nobis penitus non placet; Etſi enim facilè concedamus, Calendarium, quo hodierno die Judæi utuntur, antiquiſſimum non eſſe, etſi etiam cum

 nemine

nemine contendere velim de eo, annon ſucceſſu temporis per novas traditiones ſubinde magis depravatum fuerit, poſt Chriſti quoque ſeculum; hoc tamen certum eſſe videtur, ὑπερβάσεις illas ſeu feriarum tranſlationes, quibus Rabbinicum Calendarium à Moſaico, præter feſta & jejunia, imprimis differt, Chriſti temporibus jam obſervatas fuiſſe, à quadam ad minimum Judæorum ſecta. Hinc *Scaliger* à temporibus Seleucidarum Judæos & feriarum tranſlatione & Periodo Calippica uſos fuiſſe autumat, qua de re diſputavimus quondam in Diſſertatione noſtra de Paſchate σταυρωσίμῳ §. 12 ſeqq. Neque duo iſta loca, quæ è *Maimonide* adducit *Samuel Petitus* Eclogar. Chronol. L. I. cap. III. quicquam pro contraria ſententia faciunt, ſed potius pro noſtra: horum alterum tantum allegaſſe ſufficiat: אין קובעין לעולם תשרי לפי חשבון זה לא באחד בשבת ולא ברביעי בשבת ולא בערב שבת וסימן להם אדו אלא כשיהיה מולד תשרי באחד מן ימים האלו קובעין ראש חדש ביום של אחריו: Latinè diceret: *Non figunt in æternum primam Tisri ſecundum calculum hunc non primâ die Septimanæ, ſeu feriâ primâ, neque die quarto, neque in veſpera Sabbathi & ſignum eorum eſt Adu. Si itaq; Molad Tisri incidat in quendam horum dierum, figunt ſeu ſolenniter celebrant Neomeniam die ſequente.* Hoc illud teſtimonium Maimonidis eſt, è quo Petitus probare conatur, tranſlationem feriarum ante pauca ſecula obſervare Judæos cœpiſſe, quæ ſententia quomodo hic tradatur & inculcetur, explicet, qui meliori eſt ingenio. Nobis contrarium videtur. Neq; alter *Maimonidis* locus *Petitum* quicquam juvare poteſt, in quô dicitur, Judæos tranſlatione feriarum uſos eſſe ab eo tempore, quô ſecundum motum ſyderum medium tempora ordinârunt. At probandum hoc erat, tempore Paſſionis Chriſti non ſecundum tabulas Aſtronomicas, ſed φάσεις Neomenias indixiſſe. Quod ſimiliter atque prius fruſtrà dicitur & præſupponitur. Vide infra §. 23.

§. 3. Semoſita hâc controverſiâ, ut præliminari, dicendum porrò eſt, quânam Epocha Judæi in Calendariis uſualibus utantur. Solent enim communiter in prima Calendarii facie mentionem facere certi cujusdam anni alicujus Epochæ, ad quem Exemplar illud ordinatum eſt. Etſi verò multifariam Judæi olim annos nume-

numeraverint ſuos, vel ab exodo, vel ab ædificatione templi, vel à reſtitutione ejusdem, vel à temporibus Alexandri Macedonis, quæ Epocha præ aliis, uti antiquiſſima ſcripta teſtantur, celebris fuit. Cum enim Alexander, deletô Perſarum regnô & Græcorum novè inſtitutô, urbem Hieroſolymam aggredi conatus & Simeon, habitû Sacrô Pontificali indutus, eum dehortatus eſſet, in ejus rei memoriam, ſi vera eſt Judæorum traditio, eo anno omnibus ſacerdotum filiis Alexandri nomen datum eſt, & literas contractuum, facta mentione hujus æræ, quam מנין שטרות *annum contractuum*, vocarunt, concludere ſoliti ſunt: nulla tamen Epocha penes ipſos hodiè celebrior eſt, præterquam mundi conditi, quam בריאת עולם communiter vocant. In computo verò annorum Mundi Judæi nobis feliciores haud ſunt. Sicuti enim alias dici ſolet, quod de tempore Mundi conditi tot ſint ſententiæ, quot capita, ita etiam hoc ad Judæos quadrat. Eorundem enim alii plures, alii pauciores à Condito Mundo annos numerant. Quemadmodum verò nos utimur communiter Epocha Chriſti Vulgari, etſi eandem doctiores paſſim errorum convincant, cum quibus proinde ſentimus, etſi cùm illis loquamur; ita ſimiliter Judæi æram quandam Mundi conditi vulgarem habent, quâ in faſtis ſuis uti ſolent. Atq; hæc quidem procedit ab anno Periodi Julianæ 953. ejusdemq; menſe octavo circiter. Præſupponunt enim hi computiſtæ, inter creationem & nativitatem Chriſti interceptos eſſe 3760. annos & 4. menſes, quam ſummam ſi ſubtrahas ab anno Per. Jul. 4714. cum quo primus annus Chriſti cœpit, remanebunt 953. anni & 8. menſes, quorum numerorum jamjam mentio facta eſt.

§. 4. Porrò duplici ratione annos לבריאת עולם notare ſolent Judæi, vel enim perfectè hoc faciunt, exprimendo annorum millenarios quoque, ſive id per numeros fiat, ſive per voces Symbolicas, quod elegantius eſt, uti monet *Buxtorfius*, Inſtitut. Epiſtol. p. 46. vel imperfectè, omiſſis millenariis, quod poſterius quando faciunt, per ראשי תבות, ſeu abbreviaturam, ſubjicere ſolent has literas לפ״ק quod valet לפרט קטן Secundum ſupputationem minorem. Atque hâc temporis deſignatione frequentius, quam illâ, hodie utuntur.

§. 5. His fundamenti loco præmiſſis, facilè patet, quâ ratione anni Periodi Julianæ, & conſequenter cujuscunq; Epochæ, cum annis Periodi Judaicæ connecti queant, & vice versâ. Si enim ſibi reſpondent hæc tempora completa; annus Per. Jul. 4713. & annus Periodi Judaicæ uſualis 3760. cum 4. menſibus ſtatim apparet, ſi ab æqualibus æqualia auferantur, ab initio Periodi Julianæ usq; ad initium Periodi Judaicæ effluxiſſe hypotheticè 952. annos & 8. menſes. Quamobrem ſi anni Periodi Julianæ, vel cujusq; alterius Epochæ, ad commune illud omnium Epocharum receptaculum referendi, cogniti ſint, & quærantur anni in Periodo Judaica reſpondentes, tunc *ab annis Periodi Julianæ ſubtrahantur 952. anni, ut innoteſcat annus Periodi Judaicæ, qui reſpectu Tisri cum anno Per. Jul. dato concurrit, vel ſubtrahantur 953. ut innoteſcat annus Periodi Judaicæ, qui reſpectu Niſan cum eodem Periodi Julianæ anno paria facit.*

§. 6. Quod ſi è datis annis Periodi Judaicæ inveniendi ſint anni Periodi Julianæ reſpondentes, addantur ad illorum ſummam 952. anni & habebitur annus Per. Julianæ, ratione Tisri & reliquorum menſium quorundam, usque ad finem anni, reſpondens. At ſi ratione Niſan & reliquorum menſium connexio fieri debeat, *addantur ad Periodi Judaicæ annorum numerum 953. anni & emerget iterum Periodi Julianæ annus reſpondens.* Si verò anni לפפק. & quidem poſt Chriſtum natum, numerentur, *addantur ſaltem 1239. anni ad numeros datos & prodibit annus Chriſti, cum Tisri iſtius anni Periodi Judaicæ connectendus.*

§. 7. Expreſſa jam facie Calendarii Judaici externâ, pro interiori delineanda laborandum reſtat, quod ne fruſtra fiat, ab ovo, quod dicitur, repetenda eſt Judæorum tempora diſtingvendi methodus: Utuntur Judæi annis *Luniſolaribus*, ſeu ejusmodi annorū formâ, in qua utriusq; Luminaris motus proprius attenditur. Id eſt, habent Judæi communiter annum duodecim menſibus Lunaribus abſolutum, at quia annus Lunaris Solari minor eſt 11. diebus ferè, & tempeſtas menſium eadem nihilominus manere debet, neceſſe eſt, ut annuus iſte 11. dierum defectus convenienter compenſetur, per additionem integri menſis, qui propterea embolimæus vocari ſolet à Judæis ואדר. Accedit ad hæc, quod ob feriarum ſitus annus jam coarctetur pauliſper, jam dilatetur; hinc in univerſum triplex eſſe ſtatuitur.

Commu-

Communis	Abundans, שָׁנָה שְׁלֵמָה	*dierum* 355.
	Ordinarius, שָׁנָה כסדר	*dierum* 354.
	Deficiens, שָׁנָה חסרה	*dierum* 353.
Embolimæus	Abundans,	*dierum* [illegible]8ſ.
	Ordinarius,	*dierum* 384.
	Deficiens,	*dierum* 383.

§. 8. Menſes Judæorum quod concernit, habent in anno communi duodecim, in Embolimæo tredecim, quorum nomina hodie uſitata, ordinem in anno civili, & quantitatem in anno ordinario breviter exprimemus.

1. תשרי	Tisri,	*dierum* 30.	Autumnales.
2. מרחשון	Marchesvan,	*dierum* 29.	
3. כסליו	Casleu,	*dierum* 30.	
4. טבת	Tebeth,	*dierum* 29.	Brumales.
5. שבט	Schebhat,	*dierum* 30.	
6. אדר	Adar,	*dierum* 29.	
7. ניסן	Nisan,	*dierum* 30.	Vernales.
8. אייר	Ijar,	*dierum* 29.	
9. סיון	Sivan,	*dierum* 30.	
10. תמוז	Tamuz,	*dierum* 29.	Æſtivales.
11. אב	Ab,	*dierum* 30.	
12. אלול	Elul,	*dierum* 29.	

§. 9. Notanter diximus ſupra, hæc nomina menſium eſſe, quæ hodie uſitata ſunt, dubium enim non eſt, olim alia nomina menſes Ebræorum habuiſſe, quod ne gratis dixiſſe videamur, en priſcorum nominum reliquias: 1. Reg. 6. 1. fit mentio menſis, זו. Sic in eodem capite ℣. 38. habetur nomen menſis cujuſdam בול dicti, item ℣. 2. dicitur באיתנים in menſe Ethanim. An verò, quæ *Scaligeri* opinio eſt, hæc vocabula Sidoniorum & Tyriorum ſint, affirmare ſimpliciter non audemus. Cæterum *AbenEzra* in Exod. c. XII. nomina hodierna non Hebraica, ſed Chaldaica eſſe, aſſerit his verbis: ניסן ואייר וסיון וכל שמות החדשים אינם לשון קדש כי אם לשון כשדים על כן לא תמצא במקרא כתוב אחד מהם ולא בכל המקרא רק בנביאים חגי זכריה ודניאל ועזרא ומגלת אסתר שהיו בגולה ונכרת הפרוש בחודש הראשון שנקרא ניסן כלשון כשדים רק מצאנו

רק מצאנו בלשון הקדש שנקראו ג חדשים בדרך אחרת ירח זיו בירח האיתנים בירח בול: *Niſan, Jiar & Sivan & reliqua menſium vocabula non Hebraica ſunt, ſed Chaldaica. Ideò nullum horum in univerſa Scriptura invenitur ſcriptum, præterquam in prophetia Haggai, Zachariæ & Daniele & Ezra & volumine Eſther, qui fuerunt in Captivitate. Quamobrem ſic explicanda ſunt verba iſta:* In Mense Primo, *qui Chaldæorum lingva Niſan vocatur. Invenimus tantum in Lingva Sancta, quod tres menſes aliter vocati ſint,* Menſis Ziv, In menſe Ethanim, in menſe Bul. *Menaſſe verò Ben-Iſrael* in Conciliatore pag. 120. ſolicitus eſt in inquirendo primi menſis תשרי Etymo, & putat hanc vocem per metatheſin literarum ex ראשית formatam eſſe, cum, qui hôc nomine venit, primus in anno menſis ſit.

§. 10. Porrò de quantitate horum menſium monemus, eandem perpetuam haud eſſe, quin potius, quod etiam ſupra monuimus, ad annum communem ordinarium tantùm quadrare. Etſi enim menſis Lunaris Aſtronomicus, è Judæorum mente, ſit 29. dierum, 12. Horarum 793. minutorum, atque ideò in uſu vulgari, ubi horæ & minuta attendi commodè haud poſſunt, rectè menſes alternatim plenos & cavos ordinaſſe videantur; attamen ob triplicem iſtam anni utriusque communis & Embolimæi varietatem, etiam quantitatem menſium quorundam variare neceſſe eſt; quæ varietas his legibus abſolvitur: *In anno abundanti Marchesvan eſt plenus, in anno deficiente Casleu eſt cavus: Quare in illo dantur tres menſes continuè pleni, in hoc tres continuò cavi.*

§. 11. Quoties verò intercalaris menſis addendus eſt, collocatur ille inter menſem Schebbat & Adar, & eſt ſemper triginta dierum. Ita enim hac de re loquitur *Judæus, opera Sebaſtiani Munſteri editus* p. 60. חדש הנוכרת לעולם הוא אדר התניא אין מעברין אלא אדר דכתיב שמור את. חדש האביב חדש הסמוך לאביב מעברין ועושין שני אדרים ואמרינן אדר הסמוך לניסן לעולם חסר מכט יום לפיכך צורך למלאות אדר הראשון מכל יומם והוא חדש העבור כי אדר השני הוא. אדר של כל השנה: hæc verba *Munſterus* vertit

hoc

hoc modô, *Menſis ille, qui ſuperadditur, perpetuo eſt Adar. Nam docemur non niſi Adar embolisandum, cum ſcriptum ſit; cuſtodi menſem maturitatis. Menſem igitur maturitati vicinum emboliſamus, facientes ſcilicet duos Adar: dummodo Adar illum, qui jungitur ipſi Niſan perpetuo defectuoſum, viginti novem conſtare dicimus. & ob id neceſſario Adar primum plenum facere ex triginta diebus, qui etiam emboliſmicus eſt menſis, ſicut Adar ſecundus eſt Adar ille regulariter in anno veniens.* Hactenus Judæus, loco citatô, ubi etiam in verbis, quæ ibidem ſubjungit, adhuc aliam rationem, ob quam circa Adar menſem in anno Eccleſiaſtico ultimum tantum intercalandum ſit, tradit, quam adducere ſuperſedemus.

§. 12. Cæterum cum anni quantitatem ratione menſium, beneficiô cycli cujusdam minoris, qui cyclo Lunæ noſtro, ratione quantitatis, reſpondet, eruant, dicendum eſt, quâ modô numerus cycli minoris rite inveniri queat. Ubi notandum, non eôdem modô cyclos ſuos ordinare Hebræos & Latinos, ac, qui ipſis גוים dicuntur, populos reliquos. Nos enim præſentem annum Periodi Julianæ, qui eſt 6368. Cyclo Lunæ tertio inſignimus, at Judæi qui hodie 5414. annum à Condito Mundo numerant, eundem decimum octavum in Cyclo minori faciunt. Quo itaque conſtet de charactere hoc annorum Judaico; *dividatur numerus annorum datus per 19. & in quoto erit ſumma cyclorum ab origine Mundi juxta Hebræos abſolutorum, reſiduum vero monſtrabit characterem cycli Lunæ, annum datum ab aliis 19. annis diſtinguentem, quod ſi nihil poſt diviſionem remanſerit, indicium id erit eſſe annum propoſitum ultimum in cyclo minore, ſeu competere ipſi numerum 19.*

§. 13. Cognitô numerô cycli minoris, colligere perquàm facilè eſt, an annus propoſitus communis, an Embolimæus ſit; Ita enim hoc negotium explicat *Autor Libri Neomeniarum & æquinoctiorum à Munſtero* editus & Latinitate donatus p. 63. *Diſcimus præterea in* [illegible] *annos emboliſmicos. Nam dicit* Rabbi Gamaliel: שלש שלש שתים שלש שלש שלש שתים: *tres, tres, duo, tres, tres, tres, duo.* Dederunt autem Emboliſatores de eo ſignum 3. 6. 8. 11 14. 17. 19. vel brevius גוח אד זט Goah ed Zat. Scilicet hoc vult Judæus, omnes annos, qui habent characterem cycli Lunæ vel 3. vel 6. vel 8. vel 11. &c. eſſe menſium tredecim,

reliquos verò 12. tantùm. Datus itaq; anni Periodi Judaicæ cujuscunque character cycli Lunæ ſtatim indicat, quot menſibus annus ille abſolvatur. Nos in tabella noſtra annos Embolimæos à communibus litera E. diſtinximus.

§. 14. Quo verò vel aliquantulum conſtet de fundamento pronunciati *Gamalielis*, quò is annorum Emboliſmarium ordinem & numerum in cyclo Lunæ definivit, ſeu qua de cauſa annus tertius, itemque ſextus, octavus & reliqui ſint tredecim menſium, notandum eſt; fundari hanc diſpoſitionem in differentia anni Solaris & Lunaris, uti jam antea dictum. Scilicet anni Solaris quantitas aſſumitur à Judæis 365. d. 6. Hor. anni verò Lunaris quantitas eſt ex mente ipſorum 354. dierum 8. Horar. 876. Scrupulor. Hinc provenit defectus anni Lunaris à Solari 10. dierum 21. Hor. 204. ſcr. qui in anno ſecundo accreſcit ad 21. d. 18. H. 408. ſcr. ubi nondum intercalatione integri menſis opus eſt, cum differentia nondum menſis quantitatem attingat. At in Anno tertio Differentia aſſurgit ad 32. dies 15. Hor. 612. Scrup. itaque in anno tertio intercalandus eſt menſis integer, qui Aſtronomis eſt 29. dierum 12. Hor. 793. Scrup. Remanent itaque tunc Epactæ 3. dier. 2. Hor. 899. Scrup. His in anno quarto additâ iterum differentia inter annum Solarem & Lunarem, proveniunt 14. dies & 23. Scrup. in anno quinto augetur differentia inter anni Solaris & Lunaris initium iterum 10 diebus, 21. Hor. 204. Scrup. ut fiat 24. Dierum, 21. Hor. 227. Scrup. quod ſi denuo pro anno ſexto 10. dies, 21. H. 204. Scrup. addantur, emergit differentia 35. dier. 18. Hor. 431. Scrup. quæ quia menſis quantitatem excedit, Emboliſmaris erit annus ſextus & Epactæ remanebunt 6. Dier. 5. Hor. 718. Scrup. & ſic conſequenter; interdum verò intercalationem, vel quia ſic placuit primis Computi autoribus, vel ob rationem quandam peculiarem, anticipant.

§. 15. Non ſufficiunt hæc, ut quis certus evadat de quantitate anni Judaici, etſi enim eadem per hactenus dicta ἐν πλάτει facile cognoſci queat, nequaquam tamen hoc ſatis eſt, cum non tantum quot menſibus, ſed etiam quot diebus annus Periodi Judaicæ quicunque datus, conſtet, determinandum ſit. Quo verò negotium hoc feliciter expediatur, neceſſe eſt, ut cognitum ſit utrius-

utriusque anni & dati & ſequentis initium; Hinc ante omnia di-
cendum eſt, quâ ratione initium anni Judæorum civilis inveſti-
gari queat. Duplex nempe auſpicium anni Judæorum habent;
unum quod monſtrat calculus Aſtronomicus, alterum quod in
uſu civili obſervatur. Prius vocant מולד תשרי quod peperit
quaſi calculus Aſtronomicus, poſterius verò, קביע vocare ſolent:
De utroque dicemus, quoad fieri poterit, breviter & perſpicuè,
cum hæc ipſa doctrina alias & à Judaicis, & à noſtris ſcriptoribus
perobſcurè tradi ſoleat.

§. 16. Molad Tisri anni propoſiti ut inveniatur, neceſſe eſt,
ut ad manus ſint Tabulæ Aſtronomicæ, cujusmodi varii varias
conſtruxerunt. Imprimis verò *Illuſtriſſ. Scaligeri Calviſii, Nicolai
Mullerij, & Jacobi Chriſtmanni* laudandi ſunt conatus: Cum verò
מולד תהו, quod vocant Judæi omnium noviluniorum & pleni-
luniorum, quatenus eandem à Judæis calculo Aſtronomico inve-
niuntur, fundamentum ſit, dicemus breviter, quid per novilu-
nium iſtud inane intelligant Judæi, & unde id ortum habeat.
Scilicet verè inane & omni veritate vacuum eſt illud Judæorum
commentum, cui Molad Tohu innititur, quod cum copiosè ex
eorundem ſcriptis referat *Sebaſtianus Münſterus* Ebraicarum rerum
peritiſſimus, placet diſcurſum ejusdem integrum hic apponere,
quo Judæorum ineptiæ pluribus innoteſcant. Ita verò ille Ca-
lend. Jud. p. 49. *Hebræi dicunt in libro* סנהדרין *Præſertim Rabbi
Æliezer & ſui ſequaces, quod mundus creatus ſit prope initium men-
ſis Tisri, in die ſolis: & luminaria ſint in cœlum fixa feriâ quartâ,
horâ tertia ante meridiem, ita quod luxerit illâ die à tertia diei hora,
usq; ad veſperum, ſive ſextam horam, licet Luna nondum in terra vi-
deri potuerit usq; poſt ſex horas, quum fuerit in puncto erreationis con-
juncta Soli. Luna autem* (ut egregiè mentiuntur) *cum videret ſe
parem cum Sole habere claritatem, cœpit queri de Sole in hunc mo-
dum.* Non eſt æquum, *inquit ad DEum*, ut duo reges uni præſint
regno *Ad quam DEus:* Vade igitur tu & humiliare, minoraque
ſis lumine. *Ad quam increpationem mox perdidit lumen, deſtititq;
cœptum peragere curſum usq; ad 14. horam feriæ ſextæ, hoc eſt usq; ad
horam octavam antemeridianam, in qua recuperato lumine, licet prio-
ri minore, Soli iterum conjuncta eſt, ſed non viſa ab Adam usq; poſt*

 ſex

ſex horas, quæ eſt horâ ſecundâ pômeridianâ. Manſit igitur humiliam à nona hora feria quarta antemeridiana, usque ad horam octavam antemeridianam feria 6. hoc eſt uno integro die & 23. horis, quod tempus vocant & ſignant ſic אבג, *unde neceſſe eſt primum annum ſolarem non exceſſiſſe annum lunarem 10. diebus, 21. horis, 204. helakim, ſed tantum 8. diebus, 22. horis, & 204. helakim,* (debuiſſet dicere 12. diebus, 20. Hor. 204. Scrup. juxta computi Judaici regulam, מולד תהו של החמה יב. כ. רד.) *cum luna remorata fuerit à ſuo curſu uno die & 23. horis, ut iſti delirant. Et ob id exceſſus anni ſolaris ſupra annum lunarem fuit tantum dies, 8. horæ, 22. helakim, 204. ſi anni ſolaris principium conſtituamus in quartam feriam. Sin utriusq; Luminaris annum à feria ſexta auſpicemur, feria quarta & quinta, h. e. ſpacium illud temporis quô luna punita fuit, pertinebit ad alium annum, quem Hebræi fingunt incepiſſe ante mundi creationem, & terminatum in quartam decimam horam feria ſextæ. Et quia annus communis ſolaris major eſt annô Lunari diebus decem, horis 21. helakim 204. & jam fingitur annus tranſiſſe, ideò ponunt radicem hujus primæ fictæ conjunctionis* ב. ה. רד. *hoc eſt, quod fuerit feria ſecunda, hora quinta, helak. 204. vocantq; novilunium illud* מולד תהו *i. e. Neonemiam tenebroſam ſeu vacuam, & ab ea omnes ſequentes numerant luminarium conjunctiones.*

§. 17. Atque hoc illud fundamentum eſt, cui tabulæ noviluniorum & pleniluniorum, more Rabbinico computandorum, innituntur, quæ tamen propterea dubiam fidem haud promittunt; etſi traditione ridiculosâ ſuſpectæ reddi videantur. Hæc enim perpetua Judæorum conſvetudo eſt, etiam optima additis deliramentis quibusdam deformare. Quia nempe certum penes quam plurimos erat, mundum annô P. Jul. 953. primo die Tisri hor. 6. creatum eſſe, quia item certum tempus mundi conditi novilunii characterem habere, quia certum menſem Synodicum eſſe 29. dier. 12. Hor. 793. Scrup. & nihilominus hæ hypotheſes cum hodierno Syzygiarum calculo, ſæpius repetitis obſervationibus ſtabilito conciliari non poterant, mox, ut conciliarent hypotheſes ſuas cum Φαινομένοις cœleſtibus, hoc rei monſtrum excogitarunt ii, de quorum autoritate dubitare Judæis religio erat; usque adeò verum eſt, datô uno abſurdo infinita alia abſurda ſequi. Et

non

non immeritò *Joſ. Scaliger* L. VII. de Emend. Temp. p. 632. de Judæis imprimis monet. *Nunquam Veteres Græci morbo mythologiarum ita inſaniverunt, ac Judæi. Ubi Rabbinica περιεργία defunctum ſe putat Lector, præter expectationem in ipſo articulo opprimunt eum. Si quando enim dignus vindice nodus inciderit, præſto eſt Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, ſcilicet fabula παρεμπεσὰδοτος, aut ſcitum aliquot Veteris Rabbini, quo negotium ac lis omnis deciditur.*

§. 18. Etſi verò, quod jam antea monuimus, variæ extent Syzygiarum tabulæ, è quibus ſecundum Judæorum placita eadem inveniri poſſunt, non tamen dubitavi de nova quadam Methodo cogitare, imprimis ob id, quod Præſtantiſſimorum Scriptorum Tabulæ, ob nimiam prolixitatem, Auditoribus meis, facilè tædio eſſe queant, vel enim deſcribendæ à ſingulis, vel cariſſimi Commentarii comparandi fuiſſent. Cogitanti itaque mihi, quâ ratione amovere poſſem hanc difficultatem, ſtatim in mentem venit, annon parili modô, quem quondam in Computo Turcico-Arabico adhibui, & hic, mutatis mutandis, totum negotium & breviter & perſpicuè explicari poſſit. Et res ſucceſſit ex voto ב״ר לאו. Hinc mihi nata eſt tabula, quam coram vides. Sub tit. A.

§. 19. Quo itaque מולד תשרי anni Judaici, quicunque tandem ille ſit, accipias, ita age: *(1.)* numerum annorum Judaicorum completum divide per quantitatem cycli Lunæ, ut habeantur in quoto cycli elapſi integri, in reſiduo verò character cycli Lunæ *(2.)* E tabulâ in hunc uſum conſtructâ excerpantur radici, cyclis, & annis numeri reſpondentes, atque iidem ſibi invicem convenienter addantur; Aggregatum enim exhibebit tempus novilunii Tisri ab occaſu Solis, more Judaicô, numeratum. *(3.)* cum diebus ita agatur; ſubtrahantur ab iisdem 366. dies, & pro iisdem annus integer memoriâ ſervetur. *(4.)* Reſiduam dividatur per 1461. ut in quoto habeantur luſtra, *(5.)* hæc multiplicentur per quaternarium, ut emergant anni *(6.)* ſi reſiduum quoddam 365. dies excedens poſt diviſionem remanſerit, toties annus addatur, quoties reſiduum 365. dies exceſſit. non neglecto tamen anno, quem ſuperius memoria ſervandum eſt diximus. (7.) annus Per. Julianæ, dato anno Judaico completo reſpondens, & ipſe completus erit, qui addita unitate, in currentem mutatus dividatur

per quantitatem cycli Solis, quò emergat Character cycli Solis, eundem annum Periodi Julianæ ab aliis 28. annis retro & ante diſtingvens, hôc enim cognitô innoteſcit quoque anni Per. Jul. cum dato Periodi Judaicæ anno concurrentis quantitas, id eſt, an biſſextilis, an cõmunis is ſit ad oculum patet. (8.) Videatur deinde quotus dies à Kalendis Januarii & cujus menſis ſit iſte, qui poſt diviſionem remanſerit, poterit & feriæ character inveſtigari, idque δοκιμασίας loco, uti è dicendis patefiet. Atque hac ratione anni Judaici cujuslibet auſpicium, beneficio tabellæ noſtræ, non tantum inveniri, ſed etiam ad Julianum Calendarium commodè applicari poterit.

§. 20. Ne verò Lectorem benevolum quicquam celem, deſcribam breviter Tabulæ noſtræ diſpoſitionem & ſtructuram. Scilicet pro radice imprimis mihi laborandum erat, quæ nulla alia eſt, quam differentia temporis inter Periodi Julianæ initium & primam Tisri primi anni Per. Judaicæ intercepta, eandem verò inveſtigavi hôc modô; Per calculum Aſtronomicum ſecundum hypotheſes Ptolemaicas (quibus Judæi potisſimum fidunt) certior factus ſum, novilunium Tisri primi anni Judaici incidiſſe in annum Per. Jul. currentem 953. & quidem in Octobr. diem 7. Fer. 2. Hor. 5. ab occaſu Solis numeratam 204. Scrup. cui hypotheſi, quod feriam, horam & ſcrupula concernit, de reliquis enim non laborant, aſſentiuntur quoque omnes Judæi; Communiter enim in סוד העבור ſeu computo, hanc regulam inculcant: מולד תהו ב ה רד: id eſt Novilunium Tohu ſeu inane, de quo jam ante diximus, quid per idem intelligant, habet hos characteres fer. 2. Hor. 5. Scrup. 204. Præſuppoſitâ ergo hâc ipsâ novilunii primi, primi anni Judaici, cum Per. Julianæ, ejusdemque menſibus & diebus genuinâ alligatione, inveſtigavi differentiam inter Per. Jul. initium & inter initium Periodi Judaicæ, eandemq; inveni 347999. dier. fer. 2. 5. hor. 204. Scr. Si ſcil. utrinq; horæ ab occaſu Solis numerentur, & hanc differentiam vocavi Radicem. Hinc in unam ſummam collegi quantitates annorum Judaicorum, &, qui ex annis colliguntur, cyclorum, atque exinde prodiit, quam vides, tabella, anguſta lineis, auguſta uſu.

§. 21. Cæte-

§. 21. Cæterum cum Judæi de alligatione annorum itemque menſium ſuorum cum noſtris annis, atque menſibus, parum ſolliciti ſint, paulò aliter totum hoc negotium expedire docent, cum tantum pro charactere feriæ, itemque horarum ac ſcrupulorum ipſis laborandum ſit. Hinc in מלאכת העבור ſeu methodo computi, quam edidit *Joſephus Scaliger* L. VII. de E. T. p. 626. hunc leges Canonem: קח מותר מחזורים ושנים שעברו והשלך בכל סך על מולד בהרד והפל כל ז ויצא לך מולד תשרי: Latinè diceres: *Accipe exceſſum Cyclorum & annorum, qui præterierunt. Conjice omnem ſummam ſuper Novilunium fictum. Abjice omnia ſeptenaria. Prodibit novilunium Tiſri.* Confer: ספר למצא מולדות ותקופות ſeu tractatum de inventione Neomeniarum & æquinoctiorum, quem edidit *S. Munſterus* p. 70. ſeqq.

§. 22. Poſtquam hactenus de מולד inveniendo copioſè diximus, neceſſum eſt, ut de קביע quoque ſeu modo, figendi feriam civilem, quædam addamus. Jam antea enim monuimus קביע cum מולד non ſemper convenire. Ratio quidem diverſitatis hæc eſt, quia Judæi certas ob cauſas & traditiones Rabbinorum ſuorum alias ferias Neomeniarum ſubſtituunt pro iis, quæ è calculo Aſtronomico proveniunt. PRIMAM verò Speciem translationum vocant voce Symbolica יח id eſt: quoties in charactere Tiſri occurrunt horæ 18. vel plures, toties transfertur feſtum Neomeniæ Tiſri in feriam ſequentem. Cauſa in promptu eſt, uti rectè eandem adducit Judæorum refutat Joſephus Scaliger Lib. VII. de Em. Temp. p. 636. Scilicet 18. horæ Computi Judaici ſunt 24. horæ aſtronomicè, id eſt à meridiè. Nam primum Novilunium, (quod ipſi Tohu vocant,) Judaicè eſt hor. 5. 204. ſcrup. ab occaſu Solis, ſunt 24. horæ Aſtronomicè 11. 204. à meridie. Proinde 18. horæ ab occaſu Solis, ſunt 24. horæ Aſtronomicè à meridie. Hoc ne doctiores quidem Judæi adverterunt: cujus rei ignoratione illud oraculum ſciverunt: *Viginti quatuor horis Luna latet, id eſt, ſilet, Sex novella fit, & decem octo fit vetus. Græcè* Ἐν νυχθημέρῳ ὕπαυγός ἐστιν ἡ σελήνη, ἐν τεταρτημορίῳ νέα, ἐν τρισὶ τεταρτημορίοις ἔνη. Sed hæc ridicula ſunt & produnt in illis ignorationem cauſæ 18. horarum, quas neſciunt eſſe 24. id

eſt

eſt ſolidum ϖυχθήμερον. Tunc manifeſto non feria propoſita, ſed ſequens aſſumenda, propter diem integrum, qui latet ſub 18. horis, quæ putatæ à meridiè fiunt 24. id eſt dies integer &c. Hactenus *Scaliger*, quibus adde, quæ habent Autor libri translationum anni & fixionum, editus à *Munſtero* p. 140. ſeq. & *Nicol. Muller.* Calend. Jud. p. 44.

§. 23. ALTERA feriarum translatio, itidem voce Symbolica à Judæis vocatur אד״ו id eſt: habent Judæi ferias 1. 4. 6. pro ineptis, in quibus Neomeniâ Tisri celebretur. Quotiescunque igitur vel ſimpliciter è Molad, vel per Jach, eadem feria provenit, toties in feriam ſequentem ſolennitas feſti, ſeu Neomenia transfertur. Cæterùm hic acriter inter ſe disquirunt autores, partim à quo tempore, partim qua de cauſa apud Judæos hæc translatio obtinuerit? *Jacobus Chriſtmannus*, *Gerhardus Johannes Voſſius*, *Wilhelmus Langius* & multi alii acerrime propugnant, poſt aſcenſionem Chriſti demum transtuliſſe Judæos hoc modo Neomeniarum ſolennitates. Imò Chriſtmanno veriſimile eſt, translationes dierum Politicas originem ſumſiſſe ex die paſſionis Dominicæ. *Cum enim Judæi*, inquit interpret. Calendarii Palæſtinorum Rabbi Orip. 32 *ſcirent Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum à majoribus ſuis in die ſexta hebdomadis crucifixum eſſe, ſtudioſe memoriam illius diei abolere conati ſunt & conſtituerunt, Neomeniam Tisri, hoc eſt, principium anni, item Lunam decimam quintam Niſan, nunquam celebrandam eſſe feriâ ſexta. Ne autem ſola feria ſexta rejiceretur & odium Judæorum adverſus Chriſtum & Chriſtianos univerſo innoteſceret, etiam duas alias ferias reprobarunt: & in principio anni celebrando, feriam primam, quartam & ſextam vitandam eſſe cenſuerunt: In Paſchatis autem celebratione voluerunt abſtineri à feria ſecunda, quarta & ſexta &c.* Hactenus diſcurſum Chriſtmanni audivimus, cui *Joſephi Scaligeri*, *Iſaaci Caſauboni*, *Sebaſt. Munſteri* & aliorum quam plurium opinio prorſus contraria eſt. *Illuſtriſſimus Scaliger* enim Canon. Iſag. L. III. Cap. VI. p. 220. jam à multis ſeculis ante excidium poſterioris templi nunquam Neomeniam Tisri à prima, quarta, vel ſexta feria iniiſſe Judæos, aſſerit, idque propter tot ſolennia, quæ in illo menſe occurrunt: Si enim ab una ex illis feriis tribus Neomenia Tisri inciperet, neceſſe

neceſſe eſſet, ut aliquoties duo feſta ſolennia concurrerent, id quod in menſe Tisri ne fieret, ſedulò cavebant. Eandem rationem allegat quoque *Paulus de Sanctâ Maria, Burgenſis in Hiſpania Epiſcopus*, è Judæo Chriſtianus factus: *Non faciunt*, inquit, *Judæi duo Sabbata continua propter olera & mortuos.* Atq; huic Sententiæ *Scaligeri* & aſſeclarum quod antiquitatem translationum Judaicarum attinet, etiam nos calculum noſtrum adjicimus, eandemque jam ſupra ab initio hujus diſcurſus propugnare cœpimus, alibi verò ſatis, ut opinor, evicimus.

§. 24. TERTIA translationis ſpecies à Judæis iterum voce Symbolicâ vocatur גטרד Gatrad, & ſpecialior eſt prioribus, obſervatur enim tantum in annis communibus; id eſt, quoties in anno communi occurrit tale Molad Tisri 3. fer. 9. Hor. 204. ſcr. aut eo majus, transfertur קביע à feria tertia in feriam quintam. Ratio hujus translationis videtur eſſe hæc, quia aliàs Molad Tisri anni ſequentis fieret 7. f. 18. h. Si enim ad hos numeros 3. 9. 204. addideris characterem anni communis 4. 8. 876. ſumma hæc, nempe 7. fer. 18. hor. emerget & per conſequens duplici ratione corrigenda foret Neomenia Tisri anni ſequentis, primò per יח ob 18. horas, per quam translationem Neomenia incideret in feriam primam, deinde per אדו corrigendam. Celebranda ergò tunc foret Neomenia Tisri anni ſequentis feria ſecunda & per conſequens annus iſte fieret 356. dierum, ſeu, ut more Judæorum loquar, inter קביע anni præcedentis, quæ incideret in 3. feriam, & קביע anni ſequentis, quæ incideret in 2. feriam, eſſent intercepti ſex dies, quod abſurdum, uti paulo poſt è differentia inter ferias duorum annorum communium dati & ſequentis, quæ ſemper eſt vel 5. vel 4. vel 3. ſeu גדה apparebit. Quod ſi verò anni dati character fuerit 3. 9. 203. & adeò minutô tantùm ab eo, qui per Gatrad exprimitur, deficiat, retinenda erit feria tertia, quoniam ſequentis anni character tunc eſſet 7. 17. 1079. ubi קביע à מולד integro die non differret, ob defectum unici חלק, ſeu minuti, ad horas 18 complendas.

§. 25. Reſtat QVARTA & ultima translationum ſpecies בטותקפט Batuthakphat dicta, quæ omnium ſpecialiſſima eſt,

& rarius occurrit. Scilicet hoc volunt Judæi, ſi anni primi poſt Embolimæum Molad Tisri fuerit 2. 15. 589. aut eô majus transferendam eſſe קביע ſeu Neomeniæ ſolennitatem in feriam tertiam. Et hæc translatio non propter ſequentem, ſed præcedentem annum obſervari dicunt. Nam quoties שנה מעוברת ſeu anni Embolimæi מולד ſeu character fuerit 3. 18. 0. ſequentis anni character neceſſario erit 2. 15. 589. ſi enim ad 3. 18. 0. quantitas anni Embolimæi, quæ eſt 5. 21. 589. addatur, hæc ſumma, abjectô ſeptenariô, emerget; Embolimæi קביע tunc 1. propter דח & 2. propter אדו transferenda eſſet in feriam quintam. At differentia feriæ 5. & 2. ſubtractâ illâ ab hac eſſet 4. quæ prorſus anomala eſt in anno Embolimæo. Transfertur igitur in ejusmodi caſu קביע anni, poſt Emboliſmum proximè ſequentis, in feriam tertiam, tunc enim ſubtracta feria 5. è 3. remanet differentia 5. index anni Embolimæi deficientis, ſeu 383. diebus abſoluti. Confer de דחיות ſeu translationibus iſtis *Munſterum* pag. 13. ſeq. *Nic. Mulleri* Judæorum annum Lunæ-Solarem p. 44. ſeq. aliosque.

§. 26. His præmiſſis facile, uti puto, innoteſcit, quâ ratione quantitas anni Judaici cujuscunque dati inveniri queat, cum aliàs ſextuplex is ſit, uti ſuperius dictum eſt. Scilicet collatio inſtituenda eſt inter קביע תשרי ſeu Neomeniam Tisri anni dati & proximè ſequentis, atque dies intercepti numerandi ſunt. Statim enim apparebit, ad quam claſſem annus propoſitus referendus ſit. Quia verò Judæi compendium hic excogitarunt, ideò illud è *Rabbi Ori* Calendario Palæſtinorum, à *Chriſtmanno* edito, referam: *Signum*, inquit, *diſpoſitionis anni tale notandum eſt: Si in anno ſimplici inter principium illius & ſubſequentis differentia fuerit 3. dierum, annus eſt deficiens, ſi fuerit 4. dierum, annus eſt ordinarius; Si verò fuerit 5. dierum, annus eſt perfectus ſeu abundans. In anno autem Embolimæo hoc ſignum obſervandum eſt. Si differentia fuerit 5. dierum, annus eſt deficiens, ſi 6. dierum, annus eſt ordinarius, ſi 7. dierum, annus eſt abundans.*

§. 27. Diximus ſupra annum Judæorum eſſe Lunæ-Solarem, id eſt, in ordinatione temporis & ad Lunæ & quodammodo ad Solis quoq; ratiocinia Judæos attendere. Poſtquam itaque dixi-

diximus, quâ ratione, Lunæ motum obſervent & beneficio calculi, itemq; certarum translationum Neomeniarum ſtatuta tempora ordinent, ac incident Judæi, recenſebimus breviter quoq;, quid in Solis motu imprimis obſervent. Scilicet rationem habent תקופות ſeu revolutionem imprimis, easdemq; ſuperſtitioſè obſervant. Etſi verò תקופה in genere revolutionem, circulum, converſionem &c. ſignificet, quô ſenſû tot eſſent obſervandæ תקופות ſeu revolutiones, quod prælabuntur temporis minuta, cum ſingulis momentis Sol repetat punctum, quod ante annum poſt ſe reliquerat; hic tamen vocabulum תקופה ſeu revolutionis ſumitur ſtrictiùs, cum per eandem reditus Solis ad quatuor cardinalia cœli puncta, æquinoctialia ſcilicet, & Solſtitialia, intelligatur, non aliter atque Græci per τροπὰς ſuas quatuor iſtas converſiones primarias denotarunt. Prima itaque revolutio, quam Judæi maximâ curâ inveſtigant, vocatur תקופת תשרי ſeu revolutio autumnalis, huic ſuccedit תקופת טבת ſeu revolutio brumalis, hanc excipit תקופת ניסן ſeu revolutio vernalis, quarta denique, & in anno civili ultima, eſt תקופת תמוז ſeu revolutio æſtivalis.

§. 28. Dixi notanter ſuperſtitioſè obſervare Judæos haſce תקופות ſeu revolutionum tempora. Egregiè enim hic delirant Judæi, uti è Lacunis Talmudicorum & Rabbinorum hoc adducit *Munſterus* Calend. p. 48. dum fabulantur, quod per ſingulas tekuphas Soli ſpecialis deputetur Angelus & director: & in illo momento, quo Sol priorem complevit tekupham & ſequentem inchoat, priusquam unus director alteri locum ceſſerit, שדים id eſt dæmones, omnem poſſunt, è ſententia ipſorum, in aqua exercere tyrannidem: non ſecus ac cum imperator quispiam moritur, minores Domini interim graſſantur in hoſtes ſuos, donec alius inſtituatur Rex, qui eos à præſumptione poſſit coercere. Unde dicunt, quod ſi quis in illo momento vel tantillum biberet aquæ, hydropiſin, vel aliam gravem infirmitatem evadere non poſſe. Hinc eſt, quod illarum quatuor תקופות initia, tam ſuperſtitioſè cuſtodiunt & לוחות ſuis, id eſt, Kalendariorum tabulis diligenter inſcribunt, non modo horam, verum & momentum ipſum obſer-

vantes, nè potum à Diabolo maledictúm in eá hora ſumant. Sed faceſſant hæ nugæ.

§. 29. Ratio verò inveniendi תקופות ſeu revolutionum annuarum tempora non uniformis, ſed biformis eſt. Duos enim primarios ſuæ gentis Magiſtros habent Judæi, quorum placita imprimis obſervant. Alter eórum eſt *R. Samuel*, celeberrimus penes Ebræos computiſta, quem etiam, ut antiquiſſimum, pleríque ſeqvuntur. Alter verò *Rabbi Adda* vocatur, quem ante hos ſexcentos annos ferè floruiſſe certum eſt. Ille quidem, nempe *Rabbi Samuel*, cum Juliani Calendarii autore, *Soſygene*, aſſumſit quantitatem anni Solaris Tropici eandem, nempe 365. dierum & 6. horarum. Quod temporis ſpatium, ſi per quaternarium dividatur, unius Revolutionis quantitas erit 91. d. 7. Hor. cum ſemiſſe. Atque adeò Judæus ille non minus, atque Juliani Calendarii admiratores, quondam putavit, ſingulis luſtris Julianis תקופות ſtatuta tempora in orbem redire. Quod cum à veritate & apparentia motus corporum cœleſtium paulò alienum eſſe obſervaret *Rabbi Adda*, & ipſe inter Judæos Computiſta præclarus, corrigens anteceſſoris ſui placita annum Solarem tropicum aſſumſit 365. dierum 5. horar. 997 Scrupul. & 49. momentorum. Quod ſi hæc ſumma per 4. dividatur, apparebit Tekupham Rabbi Addæ eſſe ſeptuageſimam ſextam partem cycli Lunaris Aſtronomici, ſive novendecim annorum Lunarium, ſeptem nimirum Embolimæorum & duodecim communium, qui conjunctim efficiunt 6939. d. 16. hor. 595. ſcrup. ut adeo úna revolutio, ſive תקופה, complectatur 91. d. 7. H. 519. Scrup. & 31. momenta.

§. 30. Cæterùm in inveſtigandis תקופות momentis ante omnia notabis, methodum *Rabbi Samuelis*, non quadrare ad tempora antiquiſſima, ſed tantùm ad ea, quibus ipſe vixit, & ſequentia. Ratio in promptu eſt, quia computiſta ille, principii loco, hoc aſſumſit, ſingulis quatuor annis תקופות momenta in orbem redire, & per conſequens in 24. & 25. Septembris diebus, ſi ad Calendarium Julianum ejus hypotheſes applicentur, perpetuo oberrare, id quod ratione priorum Periodi annorum contra receptiſſima Judæorum placita eſt. Jam ſatis enim ſuprâ,

ut

ut opinor, è hypotheſibus Judaicis demonſtravimus. Luminaria è ſententia ipſorum creata eſſe f. 2. h. 5. 204. Scrup. & quidem in Octobri. Nequaquam itaque opinantur Judæi, ab initio ſtatim creationis fixum terminum habuiſſe æquinoctia & ſolſtitia, vel ſi horum aliqui hoc aſſerere videntur, ſeipſos non intelligunt, & propriis hypotheſibus *ἀσύμφωνα λαλῶσι*. Exagitat equidem *Paulus Guldinus* in Refutat. Elenchi Calendarii à Sethô Calviſio conſcripti, L. V. c XIII. Reg. XII. Joſephum Scaligerum, quod Regulam Judaicam תקופות R. Samuelis inquirendi, nec perfectam, nec univerſalem tradiderit, nec ullâ commodâ explicatione juvare potuerit, at dixiſſem ego, ad hoc neque obligatum fuiſſe *Scaligerum*, nec ulla ratione præſtare id potuiſſe, cum Rabbi Samuelis hypotheſis reliquis Judæorum placitis de primis Per. ſuæ annis ſatis manifeſtò adverſetur. Neque ipſe *Guldinus* ſeſe ſatis feliciter extricat, ex ejusdem enim ſententia & imprimis è Tabula Tekupharum, quam p. 537. proponit, ſequitur תקופת תשרי primi anni Judaici incidiſſe, in fer. 3. horam noctis 9. ſiquidem annus primus P. Jud: habuit pro charactere cyclum Solis 1. cui hæc feria pro Tekupha reſpondet. At neque cum placitis Judæorum, quæ ſupra recenſui, neq; cum ipſa rei veritate, hic character convenit, quippe cum Scriptura S. feriâ quartâ Luminaria creata eſſe aſſerat. Ergone antequam crearetur Sol, principium Libræ ingreſſus eſt? Conciliet hæc quicunque velit; nos miſſa facimus eadem.

§. 31. In tanta itaque rei obſcuritate non putamus melius fieri poſſe, præterquàm ſi Judæos ipſos audiamus. Ita verò *R. Ori*, Filius Simeonis in Cal. Palæſt. p. 43. *Si volueris cognoſcere aliquam Tekupham, numera in Tabella majore, quæ ante te eſt,* (hanc infra exhibebimus ſub charactere literæ B.) *ab illa domo in qua ſignatur Tekupha, & hinc procede ſecundum numerum annorum, qui eſt in cyclo majore* (cyclum Solis intelligit, quem in quovis anno Judaico per diviſionem ſummæ annorum datæ per 28. inveſtigare facillimum eſt,) *& in qua domo terminabitur numerus, ibi invenies feriam Tekuphæ, & ex ſuperiori parte tabulæ elicies horam.* Judicium de horis faciendum eſt è literis, quæ ſuperius ſcriptæ ſunt. Valent autem P. N. Parum noctis. M: N.

Multum noctis. P. D. pârum diei. M. D. multum diei, & præſupponunt hæ Notationes canones תקופות, qui hi ipſi ſunt:

:לעולם תשרי גט Semper Tisri GAT.

:לעולם טבת דם ים Semper Tebeth DAM IAM.

:לעולם ניסן תו Semper Niſan TAV.

:לעולם תמוז אם זם Semper Tamuz AM ZAM.

Hoc eſt: Revolutio Tisri ſeu autumnalis ſemper eſt tertia aut nona hora. Revolutio Tebeth verò, ſeu brumalis, ſemper eſt quarta & dimidia hora. ד. enim 4. & ם ſemiſſem מחצה ſignificat. Revolutio Niſan ſeu vernalis ſemper eſt hora ſexta completa, noctis, aut diei, aut principium תחלת noctis aut diei. Revolutio Tamuz denique ſeu æſtivalis ſemper eſt horâ primâ cum ſemiſſe. Senſus itaq; & uſus literarum ſuperius ad ſcriptarum hic eſt: ſi e. g. pro תקופת תשרי inveniantur hæ literæ P. N. ſignificatur iisdem incidere revolutionem Tisri ſive autumnalem in noctem & in terminum horarum minorem, qui Tekuphæ Tisri proprius eſt, hoc eſt, in horam tertiam. Quod ſi inveniantur hæ literæ ſuperius ſcriptæ M. N. indicium id eſt, Tekupham Tisri iterum quidem in Noctem incidere, at in terminum majorem, id eſt horam noctis 9. Si verò character literarum hic præſto ſit: P. D. ſignificatur eô ipsô incidere Tekupham in horam tertiam diei, ſicut per M. D. denotatur horam revolutionis eſſe nonam diei. De ſimilibus idem eſto judicium.

§. 32. Pergit verò allegatus Rabbi loc. cit. *Quod ſi autem cognoſcere velis, quotô die menſis incidat Tekupha, percurre in Tabella minore, quæ ante Te eſt* (hanc infra exhibebimus ſub charactere C.) *ſingulas domos, ſecundum numerum annorum cycli minoris* (id eſt Characterem cycli Lunæ anno Propoſito competentem,) *& quem numerum tandem offenderis, excerpe, cui adjice numerum annorum cycli minoris & productum oſtendet diem menſis, in quem Tekupha incidit.* Addit verò poſt pauca Judæus, fieri interdum poſſe, ut per hanc tabulam error unius aut alterius diei committatur, id eſt, ut dies menſis characteri feriæ non reſpondeat, ſeu alia feria ſit, quam per §. præcedentem inventa erat, & tunc monet, feriæ Tekuphæ, ut fundamento, inſiſtendum eſſe.

§.33. Quod

§. 33. Quod ſi aliquis ſcire deſideret in quos dies Calendarii noſtri, Juliani nimirum, ê ſententia Judæorum Revolutio quævis hodie incidat, neceſſe eſt, ut ipſi cognita ſit anni Juliani, anno Judaico propoſito reſpondentis, litera Dominicalis, feria initialis, & quæ exinde facilè innoteſcit, reliquorum dierum character hebdomadicus. Deinceps conferendus eſt character feriæ Tekuphæ cum characteribꝰ viceſimorum quintorum Septembris, Decembris, Martii & Junii vel iisdem proximorum dierum. Similis enim in prædictis diebus feria, monſtrat locum Tekuphæ in Calendario Juliano. Notari & hoc poteſt, non opus eſſe ut operatio pro ſingulis תקופות inſtituatur, cognitô enim unius revolutionis tempore, pro proxima Tekupha ſcienda, addantur ſaltem 91. d. 7. Horæ cum ſemiſſe, &c.

§. 34. Tekuphas Rabbi Addæ quod concernit, certum equidem eſt, easdem ad vera æquinoctiorum tempora propiùs accedere, quam ob cauſam etiam procul dubio à Synedrio magno Orientis aliquando hoc ipſum R. Addæ conſilium non tantùm approbatum, ſed & Myſterium intercalationis vocatum fuit, autore רמב״ם. Cæterùm cum nihilominus תקופות R. Samuelis à plerisq; Judæorum cœtibus imprimis obſerventur, potuiſſemus hoc labore, qui pro inventione תקופות; ê ſententia Rabbi Addæ, impenditur, ſuperſedere prorſus. Attamen ut tantum aliquid de earundem inventione ἐν πλάτει conſtet, notabis pro inventione תקופות R. Addæ ê תקופות R. Samuelis cognitis auferendos eſſe dies decem, & à charactere feriæ ternarium. Siquidem quod remanet, indicabit quam proximè תקופות Rabbi Addæ.

§. 35. Nil amplius in compendioſa hac Calendarii Judaici recenſione reſtare videtur, præterquam, ut de feſtis quoque Judæorum aliquid moneamus. Præcipuæ dignitatis feſtum, uti omnibus notum, Paſcha eſt, quod incidit in 15. d. Niſan, quamobrem cum Niſan ad ſequentem Tisri perpetuò ſint 177. dies, numerentur modò à ſequentis anni capite 163. dies retro, & pervenietur ad Paſchatis Judaici, reſpectu Calendarii Juliani, tempus. Quod ſi quis δοκιμασίαν quandam ſeu probationem deſideret, ſubtrahat modò à feria Tisri anni ſequentis binarium,

reſiduum

reſiduum enim monſtrabit Paſchatos Characterem hebdomadicum. Si jam diei prius invento idem character competat, eo certius de calculo rectè inſtituto conſtabit. Ratio hujus methodi in promptu eſt, ſi enim 163. dies, diſtantia ſcilicet Paſchatis à capite anni ſequentis, dividantur per 7. remanebit binarius, hinc Judæi rectè dicunt; à Niſan ad Tisri ב.

§. 36. Nunquam verò Paſcha Judaicum incidere poteſt in ferias 2. 4. 6. Ita enim בכללים לקביעות ſeu Regulis feſtarum legimus לעולם לא בדו פסח: *Nunquam B A D U Phaſe.* Et ratio quidem hujus regulæ in aprico eſt, quia enim Neomenia Tisri nunquam poteſt eſſe vel feria 1. vel 4. vel 6. uti ſupra dictum, & Canon Judæorum inculcat לעולם לא אדו ראש השנה: *Nunquam A D U caput anni*, ideò feriæ ad Tisri ſolennia aptæ erunt tantum 3. 5. 7. 2. Quod ſi itaq; à ſingulis ſubtrahatur binarius, aliæ ut ad feſtum Paſchatos apta, non remanebunt, quam 1. 3 5. 7. nunquam verò 2. 4. 6.

§. 37. Habent Judæi præter Paſcha & multa alia feſta ſolennia, eadem'q; celebrant vel autoritate & mandatô Dei, vel Rabbinorum ſuorum ſuaſu adducti. Primò itaq; principia menſium, ſeu Neomenias celebrant ſolenniter, idq; propterea, quia *Num. 28. v. 11.* legunt ובראשי חדשיכם תקריבו עולה ליהוה: *&c. in Neomeniis offeretis holocauſtum DEO.* Hodie tamen *teſte Buxtorf.* Synag. Jud. cap XVII. dimidia tantum parte novilunii dies primus feſtivè celebratus eſt apud Judæos. Tradunt præterea mulieribus potius, quàm viris ferias has indictas eſſe, ita ut mulieres ab omni labore abſtinere debeant, quia Novilunio Aureas in aures ſuas & cimelia, ad vitulum aureum conflandum recuſarunt: & vice versâ alacriter ac ſponte omnes ſuos annulos, armillas & torques ad templi ædificium, quod Martii Novilunio erectum fuit, contulerunt.

§. 38. Imprimis verò Neomeniam Tisri, quæ ראש השנה caput anni ab ipſis vocatur, ſolenniſſimè celebrant, idque ob Præceptum divinum *Lev. 23, 24. Num. 29, 1.* ubi legimus Menſe ſeptimô, primâ die menſis erit vobis Sabbathum, זכרון תרועה *memoriale clangoris tubarum* &c. vocabitur ſanctum &c. Hoc itaque tempore votis ſe invicem excipiunt, alterô ajente:

b בשנה

בשנה טובה תכתב ad bonum annum inſcribaris, alterô reſpondente גם אתה Tu quoque. vel: בורא יזמין לשנה טובה Deus ad bonum annum deſtinet Te, & alterò viciſſim vovente: גם אותך! Etiam Te. Conf. *Buxtorf.* Synag. Jud. cap. XIX. p. 350. ſeq.

§. 39. Reliqua feſta & jejunia, quæ in Menſe Tisri obſervant Judæi, ſunt ferè hæc: Die 3. Tisri incidit צום גדליה ſeu Jejunium, ob cædem Godoliæ, filii Ahikam & Judeorum, qui erant cum eo in Mazpa, *2. Reg. 25, 25. Jer. 41, 2.* Die 5. iterum eſt Jejunium, ob mortem XX. Iſraelitarum, & captivitatem Rabbi Akibæ, filii Joſephi, in qua mortuus eſt. Die 7. iterum jejunant ob decretum contra Patres ipſorum factum, ut perirent gladio, fame ac peſte, propter vitulum fabricatum. Dies verò 10. eſt. יום הכיפורים Dies ille Expiationum magnus, quô à veſpera ad veſperam jejunant, calceos nullos induunt, oleô aut aqua odoratâ voluptatis cauſa non utuntur, ne minimum quidem digitum, multo minus os aut vultum, lavant, ab uxoribus deniq; omninò abſtinent, ita, ne easdem tangant quoque. Hæc enim expoſitio eſt mandati divini: *Et affligetis animas veſtras*, quæ in ארח חיים ſeu *Semita vitæ*, libro Rituali legitur. Et de hac ἡμέρα ἱλασμοῦ extat Canon: לעולם לא אגו יום כפורים id eſt: *nunquam dies expiationis incidere poteſt in ferias 1. 3. 6.* Ratio clara eſt. Die XV. Tisri חג הסוכות ſeu feſtum σκηνοπηγίας tabernaculorum celebratur, vi mandati divini, Lev. 23. ℣. 34. D. XXI. Tisri eſt ῥαβδοφόρος, ſeu geſtantur Rami ſalicis vel palmarum. Dies XXII. Tisri eſt octava σκηνοπηγίας. Die denique vigeſima tertia menſis primi in anno Civili celebrant peculiare, at à Deo non inſtitutum, feſtum, quod שמחת תורה *feſtivitas Legis* vocatur. Scilicet diviſerunt Judæi legem in 54. Sectiones, quas פרשות vocant, & abbreviatè per tria majora פ in Bibliis ſuis notant. Atque hæc diviſio procul dubio ante Chriſti tempora quoque obtinuit, cum Act. 15, 21. diſerta ejusdem fiat mentio. An verò Sectionum harum diſtinctio vel ab ipſo Moſe adornata ſit, & annon potius ab Eſra, alii diſpiciant. Nobis ſufficiat noſſe Diem hunc XXIII. Tisri ob id ſolennem eſſe, quod Legis anniverſaria lectio eodem abſolvatur, unde quam proximè

ſequens Sabbatum dicitur ipſis שבת בראשית à ſectionis ſcilicet, quam tunc legere conſveverunt, voce initiali. Neque enim cum ראש השנה ordinem ſectionum legis Moſaicæ repetere volunt להטעות את השטן ad decipiendum Diabolum, ne is tempus novi anni accuratè ſciens, coram Deo Judæos accuſet, ut in malum annum eosdem inſcribat. V. *Scalig.* de E. T. L. VII. p. 648.

§. 40. In altero anni civilis menſe, qui Judæis מרחשון audit, nullum omninò feſtum celebratur; unicum jejunium, & quidem die VII. obſervatur, idq; propter excæcatum hoc die Zedekiam, & filios ejus jugulatos, uti legere eſt, *Jer. 52. v. 10.*

§. 41. Tertii menſis כסליו dicti, ſolennitas eſt חנוכה ſeu *Encaniorum feſtum*, quod celebratur die menſis 25. idq; in honorem fortiſſimi Aſmonæorum, Judæ nimirum. Poſtquàm enim juſſû *Antiochi* templum Hieroſolymitanum polluerant Gentiles & ſacra omnia profanaverant, heroicô Spiritû prædictus Judas, non tantùm urbem recuperavit, ſed & ſacris ſplendorem atq; dignitatem ſuam reſtituere feliciter aggreſſus eſt. In cujus rei memoriam 25. dies hujus menſis etiamnum apud Judæos variis oblectamentis tranſigitur, idq; ex inſtituto Judæ: Ita enim *1. Macc. 4. v. 52.* legimus: *Statuit Judas & fratres ejus & univerſa Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum, per dies octo, ab quinta & viceſima die menſis Casleu, cum lætitia & gaudio.* Similiter horum Encæniorum mentio fit *Joh. 10. v. 22.* Excipit verò hoc feſtum ſolenne Jejunium quoddam, quod die 28. ejuſdem menſis, ob combuſtum à Joakimo volumem, dictante Jeremia, à Barucho ſcriptum, obſervatur. Confer *Jer. 36. v. 23.*

§. 42. In menſem quartum טבת nullum omninò incidit feſtum. Ter verò in eodē jejunant Judæi. Primùm die 8. ejuſdem menſis, idq; ob Scriptam legem Græcè in diebus *Ptolemæi* Regis. Quamvis enim conſentientibus Judæis, & imprimis *Eleazaro*, LXX. Interpretes è Judæa Alexandriam mittente, translatio iſta facta ſit, imò Judæi hanc ipſam ob cauſam & libertatem & regia dona receperint, faſſus tamen & tunc eſt Pontifex, oportere ſe contra ingenium aliquid facere, & ſubſequentibus temporibus

jejunio

jejunio ſe hoc die macerare cœperunt. Imò fabulati ſunt, tenebras per tres dies & per univerſum orbem ſparſas eſſe imperante *Ptolemeo*, unde & lamentantur, teſte *Horting*. Th. Phil. p. 338. מעשה בחמשה זקנים שכתבו לתלמי המלך את התורה יונית והיה היום קשה לישראל כיום שנעשה העגל ; id eſt, *opus quinq; ſeniorum, qui ſcripſerunt Ptolomeo Regi Legem Græcè: fuit dies ille gravis Iſrael, ſicut dies, quo factus vitulus.* Vide de translatione iſta *Joſeph*. Antiqu. L. XII. c. II. Quare verò die 9, hujus menſis jejunent, fatentur ipſi Judæi ſe neſcire, cum à Magiſtris hoc non perſcriptum ſit. At die decimô denuò jejunant, quod eo die Urbs à Rege Babyloniæ obſideri cœperit. Et hujus jejunii mentio fieri videtur *Zach. 8, 19*; Vocatur enim decimi menſis jejunium reſpectu anni Eccleſiaſtici.

§. 43. In menſe quinto nempe שבט nullum quidem feſtum, at duo ימי תענית dies Angariarum occurrunt. Die enim 5. hujus menſis jejunant Judæi; quod eodem Seniores, qui fuerunt æquales Joſuæ, filii Nun, mortui ſint. *Jud. 2. v. 10.* Die verò 23. hujus menſis denuò jejunant, quod congregati ſint Iſraelitæ contra Benjamin propter pellicem & Idolum Michæ. *Jud. 18. & 20.*

§. 44. In menſe ſexto anni communis אדר dicto (in Embolimæo enim ſeptimus eſt) occurrit primò Jejunium, ob mortem Moſis, die quinto menſis hujus celebrandum *Deut. 34. v. 5.* Deinde die 9. denuò jejunant ob contentionem inter Scholam Sammai & Hillel ortam. Fuerunt enim hi duo Viri totidem Sectarum apud Judæos capita & ferè 100. annos ante devaſtationem templi ſecundi floruerunt. Ita enim in מסכת שבת ſeu tract. de Sabb. cap. legimus: הלל ושמעון גמליאל ושמעון נהגו נשיאותן בפני הבית מאה שנה ; *Hillel & Simeon, Gamaliel & Simeon geſſerunt principatum ſuum, ante templum centum annis. Hillel* quidem fuit Babylonius, ac centum & viginti annorum ætatem attigit, unde appellatꝰ fuit הלל הזקן Hilel Senex. *Schammai* verò ejusdem Collega fuit, homo non manſvetus, uti Celeberrimus *Buxtorfius* in Lexico Chaldaico Talmud. & Rabbinico p. 2441. ſcribit, ſed moroſus, cum in Codice Sabbath. cap. 2. Sequentia de utroque extent, uti qui-

dem *Joann. Cocb.* in Annot. ad Sanhedrin p. 429. verba citat: לעולם יהא אדם ענותן כהלל ואל יהא קפדן כשמאי: *Perpetua ſit homo mitis inſtar Hillelis; non moroſus, ut Samaus.* De controverſia verò utriusque Scholæ *R. Lipmann.* in נצחת num. 321. Cóment. in קוהלת ê Talmud מסכת עירובין; Sequentia refert: שלש שנים נחלקו בש ובה הללו אומרים הלכה כמותינו והללו אומרים הלכה כמותינו ויצא בת קול ואמר אילו ואילו דברי אלקים חי והלכה כבה; *Integro triennio diſſenſere domus Schammai & domus Hillel. Illi dicebant, juxta noſtram ſententiam ſtatuendum; hi regerebant, imò verò juxta noſtram ferendum eſt judicium. Et egreſſum eſt Oraculum divinum; Et hæc & illa ſunt verba DEI viventis, ſtatuendum tamen juxta ſententiam domus Hillel.* Plura qui de hac materia deſiderat, conferat *Epiphan.* Lib. I. contra hæreſes, *Galatinum* de Arcanis Cathol. verit. L. I. c. II. *Buxtorf.* Lex. Talm. p. 617. 2440. Abbreviat. p. 48. & 58. *Iſaaci Caſaub.* Exerc. I. ad Ann. Baron. pag. m. 53. ſeq. *Hackſpan* de uſu Libror. Rabbinic. p. 288. ſeq. *Hotting.* Theſ. Philol. p. 42. ſeqq. & infinitos ferè alios. Cæterùm ejusdem menſis, Adar ſcilicet, dies 13. vocatur יום ניקנור *Dies Nicanoris*, quem in memoriam victoriæ, quam à Nicanore, peſſimo & infenſiſſimo Judæorum hoſte quondam reportarunt, ſolennem agunt. Ita enim 2. *Maccab. 15. v. 36. & 37.* legimus: *Itaq; decreverunt omnes decreto communi, nequaquam diem hunc incelebrem ſinendum eſſe; Sed haberi celebritatem die decimô tertiô menſis duodecimi, qui Adar Syrâ lingua dicitur, die uno ante feſtum Mardochai.* Qua de cauſa verò in Anno Judæorum Lunæ-Solari *Nicolai Mülleri* pag. 15. ad hunc ipſum diem adſcriptus ſit hic titulus: *Humiliatio Eſter*, jam non ſuccurrit. Denique in hunc menſem incidunt quoque *Bachanalia Judæorum* alias dies פורים Perſicâ voce, ſeu ſortium dicti, qui celebrantur ê mandato Mardochæi & Eſther; uti legimus *Eſth. c. 9, 26. ſeqq.* Quæ verò ſit Judæorum devotio, quam hôc feſtô exercent, ſatis liquet à *Talmud* מסכת מגלה: Eô enim in loco docent, feſtum celebrandum eſſe, uti ſequitur: מיחייב אינוש לבסומי בפוריא עד דלא ידע בין ארור המן ובין ברוך מרדכי: hoc eſt: *tenetur*

homo

homo in feſto Purim eo usq; inebriari, ut nullum diſcrimen norit inter; Maledictus Haman & benedictus Mardochai; hoc eſt, neſciat ſupputare numeros, qui è ſingularum vocum literis colliguntur; breviter, ut neque manus, neque pes officium ſuum amplius præſtare queant. Atque hoc eſt illud præceptum, quod præ aliis ſtudioſiſſimè obſervant. Quod ſi plura ſcire deſideres, quæ Judæi hoc feſtò peragunt, conf. *Buxtorf.* Synag. Jud. c. XXIV.

§. 45. In menſe ניסן, qui in anno Eccleſiaſtico primus eſt, præter Paſchatos feſtum, de quo jam antea dictum fuit, ullum aliud non occurrit. Die verò primô hujus menſis jejunant, ob mortem filiorum Aaron. Die decimo iterum jejunant, quia moritur Mirjam ונסתלק הבאר ut in recenſione ימי תעניות Scaligeriana legitur. Deniq; die 26. Niſan iterum jejunant, ob mortem incomparabilis Herois Joſuæ, filii Nun.

§. 46. In menſe octavo, ipſis אייר hæc obſervant jejunia: die 10. jejunant ob mortem Eli Pontif. Max. & amborum filiorum ejus, itemque ob captam arcam *1. Sam. 4. v. 11.* Die verò 28. ejusdem jejunando celebrant exequias Samuelis Prophetæ, *1. Sam. 25. v. 1. & cap. 38. v. 3.*

§. 47. In menſe nono, qui ipſis סיון vocatur & quidem die menſis ſexto celebrant חג השבועות feſtum ſeptimanarum, ſeu Pentecoſte, de quo vide Lev. 23. v. 15. Die verò 23. jejunant ob idololatriam & defectionem Jeroboami 1. Reg. 12. v. 27. Die 25. iterum jejunant, ob cædem Rabbi Simeon, filii Gamaliel. Et denique die 27. ejusdem menſis jejunant, quod combuſtus ſit Rabbi Hanina, filius Tardion, una cum libro Legis. Quas hiſtorias omnes, ſi prolixe è Judæorum ſcriptis referre vellemus, nimium excreſceret præſens διάσκεψις, prolixitatem itaque quo evitemus, ſufficiat hic & in ſequentium menſium feſtis ſummam rei allegaſſe.

§. 48. Menſis decimi, תמוז dicti, die 17. iterum jejunant, idq; (uti quidem ſæpius à nobis citatus *Buxtorf.* & alii referunt) propter varias afflictiones & ærumnas, quas illo die olim ſubierunt & quarum vim adhuc perſentiſcunt. Exempli gratia, duæ legis tabulæ lapideæ hoc die à Moſe confractæ ſunt, oblatio quotidiana ceſſavit. Sacrum legis exemplar combuſtum eſt, idolum in templo erectum, urbs Jeruſalem ſecunda obſidione

 rupta

dem *Joann. Coch.* in Annot. ad Sanhedrin p. 429. verba citat: לעולם יהא אדם ענותן כהלל ואל יהא קפדן כשמאי: *Perpetua ſit homo mitis inſtar Hillelis; non moroſus, ut Samaus.* De controverſia verò utriusque Scholæ *R. Lipmann.* in נצחון num. 321. Cōment. in קוהלת ê Talmud מסכת עירובין Sequentia refert: שלש שנים נחלקו בש ובה הללו אומרים הלכה כמותינו והללו אומרים הלכה במותינו ויצאה בת קול ואמר אילו ואילו דברי אלקים חי והלכה כבה: *Integro triennio diſſenſere domus Schammai & domus Hillel. Illi dicebant, juxta noſtram ſententiam ſtatuendum; hi regerebant, imò verò juxta noſtram ferendum eſt judicium. Et egreſſum eſt Oraculum divinum; Et hæc & illa ſunt verba DEI viventis, ſtatuendum tamen juxta ſententiam domus Hillel.* Plura qui de hac materia deſiderat, conferat *Epiphan.* Lib. I. contra hæreſes, *Galatinum* de Arcanis Cathol. verit. L. I. c. II. *Buxtorf.* Lex. Talm. p. 617. 2440. Abbreviat. p. 48. & 58. *Iſaaci Caſaub.* Exerc. I. ad Ann. Baron. pag. m. 53. ſeq. *Hackſpan* de uſu Libror. Rabbinic. p. 288. ſeq. *Hotting.* Theſ. Philol. p. 42. ſeqq. & infinitos ferè alios. Cæterùm ejusdem menſis, Adar ſcilicet, dies 13. vocatur יום ניקנור *Dies Nicanoris*, quem in memoriam victoriæ, quam à Nicanore, peſſimo & infenſiſſimo Judæorum hoſte quondam reportarunt, ſolennem agunt. Ita enim *2. Maccab. 15. v. 36. & 37.* legimus: *Itaq; decreverunt omnes decreto communi, nequaquam diem hunc incelebrem ſinendum eſſe; Sed haberi celebritatem die decimô tertiô menſis duodecimi, qui Adar Syrâ lingva dicitur, die uno ante feſtum Mardochai.* Qua de cauſa verò in Anno Judæorum Lunæ-Solari *Nicolai Mülleri* pag. 15. ad hunc ipſum diem adſcriptus ſit hic titulus: *Humiliatio Eſter*, jam non ſuccurrit. Denique in hunc menſem incidunt quoque *Bachanalia Judæorum* alias dies פורים Perſicâ voce, ſeu ſortium dicti, qui celebrantur ê mandato Mardochæi & Eſther; uti legimus *Eſth. c. 9, 26. ſeqq.* Quæ verò ſit Judæorum devotio, quam hôc feſtô exercent, ſatis liquet â *Talmud* מסכת מגילה: Eô enim in loco docent, feſtum celebrandum eſſe, uti ſequitur: מיחייב אינוש לבסומי בפוריא עד דלא ידע בין ארור המן ובין ברוך מרדכי: hoc eſt: *tenetur*

homo

homo in feſto Purim eo usq; inebriari, ut nullum diſcrimen norit inter; Maledictus Haman & benedictus Mardochai; hoc eſt, neſciat ſupputare numeros, qui è ſingularum vocum literis colliguntur; breviter, ut neque manus, neque pes officium ſuum amplius præſtare queant. Atque hoc eſt illud præceptum, quod præ aliis ſtudioſiſſimè obſervant. Quod ſi plura ſcire deſideres, quæ Judæi hoc feſtô peragunt, conf. *Buxtorf.* Synag. Jud. c. XXIV.

§. 45. In menſe ניסן, qui in anno Eccleſiaſtico primus eſt, præter Paſchatos feſtum, de quo jam antea dictum fuit, ullum aliud non occurrit. Die verò primô hujus menſis jejunant, ob mortem filiorum Aaron. Die decimo iterum jejunant, quia moritur Mirjam ונסתלק הבאר ut in recenſione ימי תעניות Scaligeriana legitur. Deniq; die 26. Niſan iterum jejunant, ob mortem incomparabilis Herois Joſuæ, filii Nun.

§. 46. In menſe octavo, ipſis אייר hæc obſervant jejunia: die 10. jejunant ob mortem Eli Pontif. Max. & amborum filiorum ejus, itemque ob captam arcam *1. Sam. 4. v. 11.* Die verò 28. ejusdem jejunando celebrant exequias Samuelis Prophetæ, *1. Sam. 25. v. 1. & cap. 38. v. 3.*

§. 47. In menſe nono, qui ipſis סיון vocatur & quidem die menſis ſexto celebrant חג השבועות feſtum ſeptimanarum, ſeu Pentecoſte, de quo vide Lev. 23. v. 15. Die verò 23. jejunant ob idololatriam & defectionem Jeroboami 1. Reg. 12. v. 27. Die 25. iterum jejunant, ob cædem Rabbi Simeon, filii Gamaliel. Et denique die 27. ejusdem menſis jejunant, quod combuſtus ſit Rabbi Hanina, filius Tardion, una cum libro Legis. Quas hiſtorias omnes, ſi prolixè è Judæorum ſcriptis referre vellemus, nimium excreſceret præſens διάσκεψις, prolixitatem itaque quo evitemus, ſufficiat hic & in ſequentium menſium feſtis ſummam rei allegaſſe.

§. 48. Menſis decimi, תמוז dicti, die 17. iterum jejunant, idq; (uti quidem ſæpius à nobis citatus *Buxtorf.* & alii referunt) propter varias afflictiones & ærumnas, quas illo die olim ſubierunt & quarum vim adhuc perſentiſcunt. Exempli gratia, duæ legis tabulæ lapideæ hoc die à Moſe confractæ ſunt, oblatio quotidiana ceſſavit. Sacrum legis exemplar combuſtum eſt, idolum in templo erectum, urbs Jeruſalem ſecunda obſidione

 rupta

rupta fuit, & pars murorum disjecta. Propterea hodie quoque exactum obſervant jejunium, ſpecie quidem externa ſeriam & gravem pœnitentiam præ ſe ferentes, ſed animo interim vagante & quibuslibet aliis potiùs, quàm veræ pœnitentiæ intento. Qui dies ab hoc die ad decimum usq; ſequentis menſis intercedunt, *dies atri & infauſti* illis habentur; pædagogi diſcipulos cædere non audent, nemo in jus abit & ſi à Chriſtianis in Jus conveniantur, cauſam de die in diem ducunt & tergiverſationibus præſentaneum certamen detrectantes, dilationem petunt, ne pro tribunali adeſſe cogantur: causâ enim ſe caſuros credunt.

§. 49. Die primo menſis undecimi, qui ipſis אב audit, jejunant ob mortem Aaronis Sacerdotis, de qua vide Num. 33. ℣. 38. Die verò 9. iterum jejunant partim ob deſtructionem utriusq; templi, quæ hôc die contigit, partim ob decretum divinum in deſerto hoc die editum, de non ingreſſuris Judæis in terram benedictam, partim deniq; ob alia infortunia, quæ hôc die perpeſſi ſunt Judæi, quorum recordatione contriſtati, nudis hôc die pedibus incedunt, humi ſedent, triſtes tantum hiſtorias, Jobum & Threnos Jeremiæ legunt, ſepulchra viſitant, atq; ibidem cum defunctorum animis ob templi deſolationem lugent, alia item multa triſtitiæ ſigna per totum hunc menſem edunt. Hinc 18. die menſis hujus denuo jejunant, ob id, quod extincta ſit Lucerna veſpertina in diebus Achaz. Deniq; in diem XXII. Ab incidit quondam ξυλοφορία ſeu lignorum geſtatio, quæ Judæis קרבן העצים audit. Et hæc cauſa eſt, ob quam menſis אב inter מלכים ſeu menſes primarios ſolênitate quâdam nobiles, in Libro Rituali, אורח חיים dicto, refertur. Ita enim in eodem legimus: אב מלך שבו היו קוצצים עצים לקרבן: *Abeſt Rex, ſeu menſis principalis, quod in eo caderent ligna ad oblationem.* At hodie hoc feſtum abrogatum eſt, ſi vera ſunt, quæ habet *Scaliger* L. VII. de Emend. Temporum p. 649.

§. 50. Die denique XVII. menſis ultimi, ſeu אלול, jejunio ſe, more Judaico, affligunt, ob id, quod eodem die mortui ſint Exploratores, qui terram benedictam quondam diffamaverant, uti legere eſt, Num. 14. ℣. 36. Atque hæc ſunt, quæ de Computo Judaico recentiori in præſenti commentari placuit.

הכל לשם שמים:

TABULÆ MOTUUM LUNARIUM IN MENSIBUS, ANNIS ET CYCLIS JUDAICIS.

TABULA MENSIUM.

Menſ. Jud.	*Dies.*	*Fer.*	*Hor.*	*Scrup.*
Tisri.(van	29.	1.	12.	793.
Marches-	59.	3.	1.	506.
Casleu.	88	4.	14.	219.
Thebeth.	118.	6.	2.	1012.
Schebat.	147.	7.	15.	725.
Adar.	177.	2.	4.	438.
Niſàn.	206.	3.	17.	151.
Ijar.	236.	5.	5.	944.
Sivan.	265.	16.	18	657.
Tamuz.	295.	1.	7.	370.
Ab.	234.	2.	20.	83.
Elul.	354.	4.	8.	876.
Embol.	383.	5.	21.	589.

TABULA ANNORUM.

1.	354.	4.	8.	876.
2.	704.	1.	17.	672.
3. E.	1092.	0.	15.	181.
4.	1446.	4.	23.	1057.
5.	1801.	2.	8.	853.
6. E.	2185.	1.	6.	362.
7.	2539.	5.	1.	158.
8. E.	2923.	4.	12.	747.
9.	3277.	1.	21.	543.
10.	3632.	6.	6.	339.
11. E.	4016.	5.	3.	918.
12.	4370.	2.	12.	724.
13.	4724.	6.	21.	520.
14. E.	5108.	5.	19.	29.
15.	5463.	3.	3.	905.
16.	5817.	0.	12.	701.
17. E.	6201.	6.	10.	210.
18.	6555.	3.	19.	6.
19. E.	6939.	2.	16.	595.

TABULA CYCLORUM.

Cycli.	*Dies.*	*Fer.*	*Hor.*	*Scrup.*
1.	6939.	2.	16.	595.
2.	13879.	5	9.	110.
3.	20819.	1.	1.	705.
4.	27758.	3.	18.	220.
5.	34698.	6.	10.	815.
6.	41638.	2.	3.	330.
7.	48577.	4.	19.	925.
8.	55517.	0.	12	440.
9.	62457.	3.	4.	1035.
10.	69396.	5.	21.	550.
20.	138793.	4.	19.	20.
30.	208190.	3.	16.	570.
40.	277587.	2.	14.	40.
50.	346984.	1.	11.	590.
60.	416381.	0.	9.	60.
70.	485778.	6.	6.	610.
80.	555175.	5.	4.	80.
90.	624572.	4.	1.	630.
100.	693968	2.	23.	100.
200.	1387937.	5.	22.	200.
300.	2081906.	1.	21.	300.
400.	2775875.	4.	20.	400.
500.	3469844	0.	19.	500.
600	4163813.	3.	18.	600.
700.	4857782.	6.	17.	700.
800.	5551751.	2.	16.	800.
900.	6245720.	5.	15.	900.
1000	6939689.	1.	14.	1000.
radix	347999.	2.	5.	204.

1072.

B.

P. N.	M. N.	P. D.	M. D.
Niſan 4.	5.	6.	7.
2.	Tisri 3	4.	5.
7.	1.	2.	3.
5.	Rog 6.	7.	1.
3.	Tamuz 4.	5.	6.
1.	2.	Tebeth 3.	4.
6.	7.	1.	2.

C.

TISRI.	3.	13.	23.
TEBETH.	5.	15.	25.
NISAN.	8.	18.	28.
TAMUZ	11.	21.	31.

Tabella Diviſioni inſerviens.			
1.	19.	28.	1461.
2.	38.	56.	2922.
3.	57.	84.	4383.
4.	76.	112.	5844.
5.	95.	140.	7305.
6.	114.	168.	8766.
7.	133.	196.	10227.
8.	152.	224.	11688.
9.	171.	252.	13149.

Tab. dier. Menſium in anno Juliano.	C.	B.
Januar.	31.	31.
Febr.	59.	60.
Mart.	90.	91.
April.	120.	121.
Maj	151.	152.
Jun.	181.	182.
Jul.	212.	213.
Auguſt.	243.	244.
Septemb.	273.	274.
Octob.	304.	305.
Novemb.	334.	335.
Decemb.	365.	366.

Tab. Cycli Sol. Latin. cum fer. init. & Lit. Dom. ad connexionem faciens.																				
1	2	GF	5.	7	BA	9.	5	DC	13.	3.	FE	17.	1	AG	21.	6.	CB	25.	4.	E[illegible]
2.	4.	E.	6.	2	G.	10	7.	B.	14.	5.	D.	18.	3.	F.	22.	1.	A.	26.	6.	C
3.	5.	D.	7	[illegible]	F.	11.	1	A.	15.	[illegible]	C.	19.	4	E.	[illegible]	2.	G	27.	7.	[illegible]
4.	6.	C.	8.	4.	E.	12.	2.	G.	16.	7.	B	20.	5	D.	24.	3.	F	[illegible]	1.	[illegible]